



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

24. An qui ignoranter, vel cum aliqua opinione sibi probabili celebrant  
contra Decretum de celebratione Missarum, teneatur reficere Missas, aut  
stipendia restituere? Et notatur, quod in casu ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

ficiam colligendam esse, an nullatenus inferatur ad aequata colligi debere: cum plura alia sint munera Sacerdotis, ex quibus sustentatio non se offert, non idem occasio ea munera exercendi non se offert, non idem petens Missam defectum supplere debet, alias si à sacrificando impeditus esset sacerdos, vel si esset expostularet, posset ab eo, cui poenitentiae, vel Eucharistiae Sacramentum ministrat, sustentationem illius diei integram exigere, quod nemo concedet: signum ergo est Sacerdotem altari seruientem de altari viuere debere pro quantitate obsequij impensae, ac proinde non integrum vnus diei victum pro vno sacrificio expostulare posset, sed ad summum partem illius præcipuam.

18. Vnde ex his omnibus apparet, me olim rectè dixisse non posse Sacerdotem pauperem accipere plura stipendia pro vna Missa, ratione sustentationis diurnae.

19. Nec obstat alia opinio, quam docuit, & adducit Caramuel contra me, nempe Notarios posse accipere maiora stipendia pro sustentatione diurna, nam, vt dicta resol. 60. trall. 17. apparet, ego loquutus sum, vt dicta resol. 60. trall. 17. apparet, ego loquutus sum, quando pro varietate temporum taxa Notariorum effecta sit iniusta; tunc enim procederet illa opinio Molinae, & aliorum, & non aliter, quod non procedit in casu missae, in quo supponimus taxam esse iustam, & quae quidem non debetur, neque taxatur in ordine ad diurnam sustentationem: Ergo est dispar ratio contra Caramuelem inter vtrumque casum, nec bene, & licitè potest inferri consequentia ex casu à me adducto de taxa Notariorum ad taxam Sacerdotum pro Missa dicenda.

RESOL. XXIII.

*Virum Sacerdos pauper possit pro vna Missa accipere tot stipendia, quot sufficiant ad eius diurnam sustentationem?*

*Et an talis Sacerdos possit accipere id, quod necessarium est ad sustentandum Patrem, & Matrem, quando sunt constituti in tali necessitate, quod non possint sustentari nisi mendicando? Ex part. 2. tr. 14. Ref. 8.*

Sup. hoc in Ref. præterita, sed lege infra doctrinam §. Item. Ref. 41. & cū aliis paucis DD. in Ref. 46. signanter in §. Itaque, nō ante medium, à vers. Vnde aliqui, & in tom. 4. tract. 7. Vide obiectionem Caramuelis in §. Progreddior. Ref. 51. & lege eam per totam.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam probabilem putauit Ioan. de la Cruz in direct. confc. part. 2. de sacrif. Missae, q. 1. dub. 7. Ledesma in sum. part. 1. de Sacram. Euchar. cap. 18. concl. 8. Molfesius in sum. tom. 1. tr. 3. c. 16. n. 17. & illam absolutè docent, & sustinent Sotus de iustit. lib. 9. q. 3. art. 1. & in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. Canus de loc. Theol. lib. 12. c. 13. ad 10. argum. Beia part. 1. cas. 12. D. Montagnolus cap. 26. Angelus verb. Missa, n. 52. Rodriquez in sum. tom. 1. c. 251. n. 4. & tom. 4. cap. 52. n. 5. Fernandez in exam. Theol. moral. part. 3. c. 5. §. 8. n. 3. qui citant Honcalam, & Tabienam, Petrus de Aragon. in 2. 2. q. 85. art. 3. §. his tamen non obstantibus, & nouissimè Didac. Nugnus in 3. p. tom. 1. q. 83. art. 1. dub. 10. concl. 4. Debet tamen talis Sacerdos celebrare quotidie si potest, deinde debet esse contentus victu moderato, domo humili, veste trita, licet decenti, & quod seruiat illi persona stipendij. Aliqui volunt, quod possit etiam accipere ad emendos aliquos libros, si ille Theologus, vel Iurista sit, & libri illi sint necessarii ad exercenda aliqua ministeria spiritualia, si conueniens est, & vile Ecclesiae, quod talis Sacerdos exerceat illa ministeria.

2. Deinde, secundum aliquos potest etiam talis Sacerdos accipere id quod necessarium est ad sustentandum patrem, & matrem, quando sunt constituti in tali necessitate, quod non possint sustentari, nisi

mendicando. Quia sicut non decet Sacerdotem mendicare; ita non decet patrem, & matrem illius, hoc facere: tenetur enim Sacerdos illos domi habere, & necessaria ad victum tribuere. Hæc ferè omnia Nugnus ubi sup. & ante illum, sapientissimus Magister Orellana apud Vegam in sum. tom. 2. cap. 41. cas. 1. & ipse Vega.

3. Sed hæc opinio modò corruit. Nam sacra Congregatio in decretis §. 3. sub obestatione diuini iustitij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ à Sacerdotibus celebrentur, quot ad rationem attributæ elemosynæ præscriptæ fuerint. Ita vt ij ad quos pertinent suæ obligationi non satisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

4. Etiam hanc sententiam prius communiter docuerunt DD. Pitigianus in 4. sent. tom. 1. dist. 13. q. 2. art. 6. in fine. Filliuc. tom. 1. tract. 5. cap. 6. n. 188. Loza de la Cruz, Ledesma, Molfesius ubi sup. Naldus, port. Capellania, n. 11. Miranda tom. 1. q. 41. art. 23. concl. 1. Lessius lib. 2. c. 24. dub. 5. n. 28. Nauarr. c. 25. n. 91. Poffeinus de offic. Curf. c. 2. n. 24. Fraxinellus oblig. sacro. sect. 4. concl. 2. §. 3. Azor. part. 3. lib. 12. c. 6. q. 1. Sanchez 3. p. tom. 3. dist. 88. sect. 4. Valq. in 3. p. tom. 3. dist. 23. q. 2. & alij penes ipsos; nam Sacrificium Missæ non est institutum ad sustentandam Sacerdotis vitam, quia Sacerdos promoueri nequit, nisi habeat patrimonium sufficiens, vt patet ex cap. non licet, & c. Episcopos, de præbend. Ergo, & c. Deinde, non est iustum, vt Sacerdos, qui operam suam locat tantummodo ad tent. horam, in qua totum Missæ sacrificium absoluit, exigat integrum cibum diurnum, cum tantum peti semihoram laborer.

RESOL. XXIV.

*An qui ignoranter, vel cum aliqua opinione sibi probabili celebrant contra Decretum de celebrat. Missarum, teneatur restituere Missas, aut stipendia restituere?*

*Et notatur, quod in casu prohibito per Sacram Congregationem non erit peccatum mortale, sed tantum veniale, & absque obligatione restitutionis restitui sibi partem stipendij.*

*Et quid, si talis decipiat alterum Sacerdotem dicendo se non accepisse nisi dimidiata stipendia? Ex part. 3. tr. 7. & Miscell. Ref. 75.*

§. 1. **N**egatiuè respondet Bordonus in consil. Ref. 25. q. 1. n. 22. Tum, quia obligatio restituendi oritur ex formalis læsione iustitiæ, vt omnes docent; sed hic nulla est huius generis læsio, ergo ad nihil tenetur. Minor suadet, quia sic celebrans bona fide, vel ex opinione, intendit satisfacere, & prudenter credit, cum agat ex opinione, ergo quædam est ex parte sua, non peccauit, consequenter ad nihil tenetur, quia obligatio restitutionis supponit culpam saltem veniale, imò quidam requirunt mortiferam cum Sanchez lib. 2. c. 23. n. 160. quarum vtrique cum absit, dicendum est, non adesse obligationem restituendi. Tum quia vbi non est culpa, vt in casu nostro, cum egerit bona fide, & ex opinione probabili, quæ excusant à mortali. Nauar. consil. 4. de offit. n. 4. per cap. Capellanus ad restitutionem. Tum quia stante dicta opinione satisfecit; ergo ad nihil tenetur. Tum quia ad hoc vt quis teneatur ad restitutionem, necesse est, vt adfit formalis violatio iustitiæ, id est, vt sciat se lædere tertij. Megal. 1. 2. lib. 2. c. 1. n. 3. 1. ergo cum hic ignorauerit huiusmodi læsionem, ad restitutionem non tenetur. Verum quidè est, quod charitas cum cogit ad orandum pro iis, à quibus stipendia recepit.

cepit. Neque dicas, possessorem bonæ fidei teneri de eo, quo factus fuit, ditior, postquam devenit in malam fidem; quia iste Sacerdos in nullo fuit factus ditior, siquidem illa stipendia respondent labori, & occupationi in celebrando, præterquam quod illa regula non habet locum in onerosis, neque Sacerdos censetur factus ditior, ita quod ea regula hinc nulla ratione locum habet. Hucusque Bordonus.

2. Sed nouissimè aduersus illum insurgit Raphaël Auerfa de sacram. Euchar. g. 1. sect. 17. affirmatiuam sententiam docens, quia licet in tali casu Sacerdos sic celebrans non teneatur ratione iniustæ acceptationis, tamen adhuc tenebitur ratione rei acceptæ. Sicut quodcumque quis bona fide accepit rem, quam putauit suam, vel putauit iusto titulo acquirere; si postea deprehendit, rem non fuisse suam, aut non iusto titulo acquisitam, tenetur utique restituere, seu satisfacere. Debet ergo ille Sacerdos, cognita veritate, vel aliam Missam celebrare, & applicare, vel stipendium restituere. Intelligitur tamen, dummodò possit: alioqui si per impotentiam excusatur, ex hoc alio capite cessat interim obligatio.

3. Nota tamen hic etiam Bordonum ubi sup. q. 18. num. 28. docere quod etiam in casu prohibito per sacram Congregationem, non foret peccatum mortale, sed tantum veniale, & absque obligatione restitutionis, retinere sibi partem stipendij; quia nec verba prohibitiua huius rei sunt ita graua, nec materia adeo grauis, & hoc non intelligit solum in vna, aut paucis Missis, sed absolute absque limitatione. Quod tamen non est facile admittendum, quinimò si quis recipit ab aliquo integra stipendia pro magno Missarum numero, & decipiat alterum Sacerdotem, dicendo se non accepisse nisi dimidiata, eumque hoc dolo inducat ad ea acceptanda, grauius delinquet, & ad restitutionem obligabitur. Si tamen patefacta veritate, cum inducat, vel sciens, & volens consentiat; potest quidem excusari, nec circa hoc extat difficultas. Et hæc omnia etiam contra Bordonum aduertit Auerfa loc. cit.

RESOL. XXV.

An Sacerdos, qui elemosynam accipit pro dicendis Missis, possit postea per alios satisfacere minori pietatis sine peccato, & onere restitutionis. Ex part. 2. tit. 14. Refol. 10.

§. 1. Tres præcipuas inuenio in hac materia DD. opiniones. Prima est Dominici Soto lib. 1. de iust. g. 3. art. 1. Rodriq. in summ. tom. 1. c. 243. n. 12. Suarez in 3. p. q. 83. art. 6. disp. 86. sect. 3. vers. hac verò occasione, & aliorum assentientium, Sacerdotem licitè id facere, nec ad aliquam restitutionem teneri; dummodo ipse sit Curatus, aut eius populi curam habens: nam cum talis Sacerdos, vt supponitur, iustum stipendium aliis concedat, nulli facit iniuriã, si ipse pro cura, onere, & sollicitudine reliquum sibi retinet.

2. Secunda opinio est Vigerij apud Bartholomæum ab Angelis in exam. ordin. dial. 1. §. 510. Petri de Ledesma in sum. tom. 1. de sacram. Eucharist. cap. 18. concl. 13. qui citat Nauarr. Cordub. & Maiorem, Anton. Fernand. in Exam. Theol. mor. p. 3. c. 5. §. 9. n. 6. Petri de Aragon. in 2. 2. q. 85. art. 5. dub. ult. Lucij Ortiz, in sum. c. 16. n. 76. & aliorum assentientium, omnes Sacerdotes, tam habentes, quam non habentes curam animarum, non posse aliis minora stipendia dare, & sibi aliquid retinere. Limitant tamen hanc sententiam, nisi ex lege, vel consuetudine, vel ex voluntate, saltem tacita commendantium, dantiumque maiora sti-

Tom. 11.

pendia, sic ordinatum, atque receptum, vt aliqua pars illorum remaneat penes ipsos.

3. Tertia opinio, cui tanquam probabiliori adharebam olim, est Gabriëlis Vasquez in 3. p. tom. 3. disp. 23. c. 4. n. 30. Naldi in summ. ver. Missa, n. 4. Homoboni de exam. Eccles. part. 1. tract. 8. c. 14. g. 13. Fraxinelli de oblig. Sacerd. sect. 3. pr. anor. §. 4. n. 1. Emanuelis Sà ver. Missa, n. 45. & aliorum, qui docent opinionem affirmatiuam, etiam quoad omnes Sacerdotes, siue sint Curati, siue non, duabus tamen concurrentibus conditionibus.

4. Prima est, vt talia stipendia ipsi dentur Sacerdoti pro Missis ab eo celebrandis, vt sic ipse Sacerdos dominium dictorum stipendorum acquirat, & non sit simplex dispensator, vt Missarum dicendarum curator. Secunda est, vt eam partem stipendij pinguioris alteri Sacerdoti præbeat, quæ sit iustum stipendium, lege, aut consuetudine præfixum. Quibus suppositis, hæc sententia probatur, quia Sacerdos dominium accepti pinguioris stipendij, acquiritur cum obligatione dicendi Missas pro alio: ergo, vt dominus, dato iusto stipendio, per alium Sacerdotem obligationem adimplendo, nullam iniustitiam committit. Confirmatur, nam Sacerdos, qui ex dato sibi pingui stipendio, mercedem iusti stipendij, pro Missa dicenda dat alteri, nulli infert iniuriam: non quidem alteri Sacerdoti celebraturo, quia datur ei iustum stipendium, neque illi pro quo celebranda est Missa, quia pro eo Missa offertur eiusdem valoris ex iusto stipendio, ac si ex pinguiori diceretur. Ergo licitè eam partem, iustum stipendium excedentè sibi retinet.

5. Sed dices, licitum hoc etiam videtur illi Sacerdoti, qui stipendium accepit, vt curaret Missas dicere, nam etiam talis dispensator Missarum dat Sacerdotibus celebraturis iustum stipendium; ergo nulla eis infertur iniuria, & iniustitia. Respondeo, negando consequentiam, infertur enim illis iniuria, non quia illis non tribuitur iustum stipendium, sed quia totum stipendium, quod ex voluntate donantis ad ipsos pertinebat, minimè datur. Ita olim circa præsentem questionem sentiebam.

Sup. hoc dispensatore late infra in Ref. 27. & Vide supra ad medium §. 1. huius Refol. vers. dummodo ipse.

6. Sed modò sacra Congregatio in §. 5. contrarium determinat, sic enim ait sacra Congregatio, omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa elemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem elemosynæ sibi retenta, celebrandam committat. Vltra DD. citatos alios inuenies hanc questionem tractantes, qui sunt Riccius in praxi, p. 2. resol. 363. n. 1. & 2. Naldus ver. Missa, n. 20. Iod. de la Cruz in direct. consil. 1. 2. q. 1. dub. concl. 1. Cenedus in 99. Canonis, g. 27. per totam. Iterum Riccius part. 3. resol. 309. per totam, n. 30. Valerus in differ. vtriusque fori, ver. Missa, differ. 1. per totam. Rodriq. in sum. tom. 4. c. 52. n. 2. Filiucius tom. 1. tract. 5. cap. 6. n. 186. Moltesius in sum. tom. 1. tr. 3. c. 16. n. 20. Vega in sum. tom. 2. c. 41. cas. 3. Hieron. Llamas in 3. p. Memodi, c. 13. §. 18. Gutierrez lib. 1. can. g. c. 29. num. 32. Zanardus in direct. Theol. p. 1. tract. de Eucharist. c. 13. n. 7. Syluius in 3. p. q. 83. art. 1. quaritur 17. in fin. & alij.

RESOL. XXVI.

An post Decreta Urbani VIII. possit quis sine peccato celebrare per tertium retinendo sibi partem stipendij? Et quid si retenta fuerit maior pars stipendij? Ex p. o. tit. 8. & Misc. 3. Ref. 10.

§. 1. Affirmatiuam sententiam tenet nouissimè Franciscus Bordonus in Consiliis Regularium

Sup. hoc in Ref. præteritum